

laudant eas in portis opera sua, donec veniat, cum erit unicuique laus a Deo. Videtis, fratres, quanta est unitas Scripturarum, quam uno sensu et eis dem pene verbis de beatitudine loquantur animarum.

5. Jam vero nemo ex vobis parvam aliquam requiem, aut lætitiā suspicetur eorum, qui ab omni penitus molestia liberi recogitant annos suos in dulcedine animæ suæ; lætantur pro diebus quibus humiliati sunt, annis quibus viderunt mala; cum jucunda admiratione et mira jucunditate considerant pericula quæ evaserunt, labores quos pertulerunt, certamina quæ vicerunt; et pro his omnibus certa et indubitata fide expectant beatam spem, et adventum gloriæ magni Dei et Salvatoris sui, qui resuscitabit et reformabit corpora eorum, configurata proprii corporis claritati.

6. Quanta est felicitas eorum, quam immensa lætitia! qui nimirum triplici gaudio, de recordatione transactæ virtutis, de exhibitione præsentis quietis, de certa expectatione futuræ consummationis exsultant. Nam de futura illa consummatione habemus vocem eorum in fine ejus psalmi, de quo superius loquebamur. Dicunt enim singulæ animæ, quibus jam datum est ad hanc requiem pervenire: *In pace in idipsum dormiam et requiescam; quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me.* Singulariter, inquam, in spe, non jam inter spem et metum, ubi prius non sine sollicitudine et anxietate plurima fluctuabam. Sic et de præsentis sanctorum requie habemus in alio psalmo scriptum: *Convertere, anima mea, in requiem tuam, quia Dominus benefecit tibi.* Bene, inquam, fecit, quamvis necdum optime. Denique audi quam bene: *Quia eripuit animam meam de morte, oculos meos a lacrymis, pedes meos a lapsu (Psal. cxiv, 7, 8):* id est a peccato omni et a peccati pœna, a timore quoque et a periculo recidendi penitus liberavit. Hoc est suavissimum animæ stratum, quod nullis jam lavet aut riget lacrymis, quando absterget Deus omnem lacrymam ab oculis ejus. Hoc cubile, in quo jam non compungitur, nec convertitur in ærumna sua, dum configitur spina. Exiit enim de terra illa, quæ spinas ei et tribulos germinabat. Hoc plane stratum animæ, quod minime jam versatur in infirmitate ejus; quoniam universa quæ infirmitatis erant, pariter transierunt. Hæc est, inquam, animæ suavissima et saluberrima requies, conscientia munda, quieta, segura. Sit ergo beatæ animæ culcitra conscientiæ suæ puritas, sit capitale tranquillitas, sit opertorium ejus securitas: ut in hoc interstrato dormiat delectabiliter, feliciter requiescat.

7. Jam vero de recordatione transactæ virtutis habes in psalmo centesimo vicesimo tertio manifeste verba eorum, quæ superius quoque commemoravi. Considerant enim et multa cum admiratione recogitant, a quibus laqueis, quantisque periculis divino meruerint auxilio liberari, et exsultantes in Domino dicunt: *Nisi quia Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, nisi quia Dominus erat in nobis,*

cum exurgerent homines in nos, forte vivos deglutissent nos. Torrentem pertransiit anima nostra, forsitan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem; et addunt: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captivem dentibus eorum (Psal. cxxiii, 1-6). Sed et verba quæ jam tempore suæ resolutionis instante loquebatur Apostolus, de eo in quo nunc feliciter requiescit statu præsumpta, videntur et nunc ei multo melius convenire: nunc enim jam secure loquitur: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi: de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illum diem justus iudex (II Tim. iv, 7, 8).* Hæc sunt, dico vobis, fratres, hæc modo sunt universa sanctorum negotia, hic cibus, hic somnus eorum: et propterea **1033** voluit Spiritus sanctus scribi verba ea quæ protulimus, cæteraque similia, ut ex his aliquatenus innotesceret nobis status eorum.

8. Longe aliter tamen afficiuntur in hujusmodi meditationibus, et multo amplius delectantur, quam nostra aut cogitatio capere, aut explicare queat oratio. Audi enim quomodo labore propheta inculcans, et multiplicans verba, nec tamen sic digne magnificare velens quod intendit. *Quam magna, inquit, multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti timentibus te! Quid tamen addidisti? Perfecisti, inquit, eis qui sperant in te, in conspectu filiorum hominum (Psal. xxx, 20).* Est ergo multitudo dulcedinis, quæ abscondita est, magna quidem et magna valde, necdum tamen perfecta; quoniam in manifesto perficietur, non in abscondito, quando non sub altari requiescent sancti, sed super thronos tanquam iudices residebunt. Ad requiem enim exutæ a corporibus animæ sanctæ protinus admittuntur; ad plenam autem gloriam regni non ita. *Me expectant justi, ait Propheta, cum adhuc detineretur in custodia corporis hujus, donec retribuas mihi (Psal. cxli, 8).* Et vox divina ad animas sanctas corporum suorum resurrectionem flagitantes. *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum (Apoc. vi, 11).* Sed jam sermo claudendus est: vocant enim nos missarum adhuc celebranda solemnia. Quod ergo restat adhuc de eadem materia, sermoni alteri reservemus.

SERMO III.

Quomodo animæ sanctæ erunt sine macula et ruga.

1. Advertistis, nisi fallor, ex his quæ præcedente sermone sunt dicta, tres esse sanctorum status animarum, primum videlicet in corpore corruptibili, secundum sine corpore, tertium in corpore jam glorificato. Primum in militia, secundum in requie, tertium in beatitudine consummata; primum denique in tabernaculis, secundum in atriis, tertium in domo Dei. *Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum!* multo magis tamen atria concupiscibilia, secundum quod addit: *Concupiscit et deficit anima mea in atria Domini (Psal. lxxxiii, 1, 2).* Sed quoniam in ipsis quoque atriis nonnullus, ut audis, defectus est, beati omnino qui ha-

bitant in domo tua, Domine. Lætatus sum plane in his quæ dicta sunt mihi, fratres, quoniam in domum Domini ibimus. Quod si quæritis, unde id tam fiducialiter præsumam: inde sine dubio, quod jam multi ex nobis in atriis stent, expectantes donec recipiant corpora sua, donec impleatur numerus fratrum. In illam enim beatissimam domum nec sine nobis intrabunt, nec sine corporibus suis, id est nec sancti sine plebe, nec spiritus sine carne. Neque enim præstari decet integram beatitudinem, donec sit homo integer cui detur; nec perfectione donari Ecclesiam imperfectam. Propterea cum resurrectionem expeterent corporum, sicut priore sermone jam diximus, acceperunt divinum responsum, dicens: *Sustinete modicum tempus, donec compleatur numerus fratrum vestrorum (Apoc. vi, 11).* Acceperunt tamen jam singulas stolas; sed non vestientur duplicibus, donec vestiamur et nos: quomodo de patriarchis et de prophetis ait Apostolus: *Deo melius aliquid providente pro nobis, ut non sine nobis consummarentur (Hebr. xi, 40).* Stola enim prima ipsa est, quam diximus, felicitas et requies animarum: secunda vero immortalitas et gloria corporum. Unde et dicunt: *Vindica, Domine sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est (Apoc. vi, 10),* non tanquam vindictæ cupidus, nec de propria ultionis zelo; sed ex desiderio resurrectionis et glorificationis corporum suorum, quam nimirum usque in diem iudicii differendam esse non dubitant.

2. Sed unde hoc tibi, o misera caro, o fœda, o fetida, unde tibi hoc; Animæ sanctæ, quas propria Deus insignivit imagine, te desiderant; quas redemit proprio sanguine, te expectant; et ipsarum sine te comperi **1034** lætitia, perfici gloria, consummari beatitudo non potest. Adeo siquidem viget in eis desiderium hoc naturale, ut necdum tota earum affectio libere pergat in Deum, sed contrahatur quodam modo, et rugam faciat, dum inclinantur desiderio tui. Unde et beatus Joannes, qui multa nobis de eo statu, in quo feliciter beatæ animæ requiescunt, per Spiritum reseravit: *Sine macula, inquit, suus ante thronum Dei (Apoc. xiv, 5),* Sine macula, inquam, sed necdum sine ruga; donec veniat dies, cum sibi gloriosam Christus exhibebit Ecclesiam, non habentem maculam, neque rugam. In his namque qui adhuc militant, nec sine macula quidem Ecclesia est; quoniam nemo mundus a sorde nec infans, cujus est unius diei vita super terram: quam utique vitam beatus Job militiam esse testatur (*Job. vii, 1*). In his vero qui sub altare Domini requiescunt, jam quidem sine macula est Ecclesia, sicut habes in psalmo: *Domine, quis habitabit in tabernaculo tuo? aut quis requiescet in monte sancto tuo? Qui ingreditur, inquit, sine macula (Psal. xiv, 1, 2).* Hic ergo requiescet in monte Domini, qui ingreditur sine macula: qui vero fuerit sine ruga, exaltabitur supra montem. Sed si vis scire quando erunt sine ruga animæ sanctæ, quando extendentur cœli sicut pellis, quæ

dilatatur penitus, ut nec minima quidem ruga inveniat in ea: tunc sine dubio, quando jam sequentur Agnum quocumque ierit. Vere enim extendi et dilatari necesse est animas, quibus utique sequendus est Agnus. Quo enim vadit? Attingit profecto a fine usque ad finem fortiter, et disponit omnia suaviter.

3. Vis adhuc nosse quo eat Agnus, et quo necesse habeant beatæ animæ sequi eum? *In omnibus requiem quæsi (Eccli. xxiv, 14).* Hæc est plane requies Domini, non intercesa, non circa aliquid certum restricta; quoniam in omnibus gaudet, in omnibus delectatur, in omnibus requiem quærit, et invenit. Nam et bona ei placent in seipsis, et delectatur nihilominus bona ordinatione malorum. Diligit misericordiam et iudicium: nec modo in honorum gloria sibi complacet, sed in ipsis quoque, utpote justis, suppliciis impiorum. Quid ergo? putasne, poterit humana anima in hoc gaudium Domini sui, et in hanc ejus requiem intrare, ut et ipsa quoque in omnibus delectetur; nec aliqua jam privata affectione contrahatur in rugam, sed transeat in affectum quemdam generalem atque divinum? Poterit sine dubio, si fidelis inveniat super pauca, quæ accepit militiæ suæ tempore, id est, super artus, super sensus, super appetitus suos, quos suscepit regendos, ut in his probetur, quam fidelis sit Domino suo. Sciat igitur servus Christi vas suum possidere in sanctificatione, glorificet et portet Deum in corpore suo: nec dubium quin fidelem in modico servum supra multa constituat Dominus liberalis et dives. Supra multa plane, quoniam constituet eum dominum domus suæ, et principem omnis possessionis suæ. Neque id vobis incredibile videatur fratres, tanquam a meipso id loquar: quoniam Veritas ipsa manifeste id pollicetur, cujus de promissione omnino dubitare non licet. *Beatus, ait, servus ille, quem cum venerit Dominus ejus, invenerit sic facientem. Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum (Matth. xxiv, 46, 47).* Tunc enim fidelis servus constituitur super omnia bona Domini sui, cum in gaudium ejus meretur intrare, et cum eo deinceps lætari in universis, in cunctis gaudere, in omnibus delectari. Etenim *qui adhæret Deo, Apostolo teste, unus cum eo spiritus efficitur (I Cor. vi, 17);* et voluntas ejus omnino divinæ adhærens voluntati fit una cum ea, ut nihil jam, quod contra eam sit, inveniat in omnibus creaturis; sed universa fiant, vel magis maneant pro ejus arbitrio.

4. Hæc est ergo beata spes, quam expectant animæ sanctæ: et licet in gratiarum actione versentur pro ea felicitate, in quam jam requiescunt; adhuc tamen orant et clamant ad Deum pro ea consummatione, quam præstolantur. Unde quemadmodum sine macula quidem vetustatis, sed non sine ruga contractionis eas diximus esse; sic ad gratiarum actionem jam pervenisse videntur, sed necdum ad vocem laudis; quoniam perfectum **1035** perfectos laudare decet, ut laudetur cum hereditate sua, quando jam et ipsi laudabunt eum, et erit unicuique laus a Deo.

Unde et Propheta signanter futuri temporis verbo usus videtur: *Beati, inquit, qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te* (Psal. LXXXIII, 5). Nam et beatus Joannes in Apocalypsi non vocem laudis, sed potius vocem precis audivit. Sic enim habes: *Sub altare Dei audivi voces occisorum*. Quas voces? *Vindica, Domine, sanguinem sanctorum tuorum qui effusus est* (Apoc. VI, 10). Vox precis, non laudis est ista. Sed quousque a longe circumdamus altare istud, et veremur accedere? Desiderat, nisi fallor, charitas vestra audire sacramentum altaris hujus, et sacrum secretumque nosse mysterium. Sed quis ego sum, qui sanctorum cubiculum facile audeam temerarius perscrutator irrumperere? Quasi vero non legerim scrutatorem majestatis opprimendum a gloria (Prov. xxv, 27). Verum tamen pausemus hic, si placet, hodie si forte pulsantibus nobis aperire dignentur mysterium altaris illius in habitrices animæ sanctæ, non nostro merito sane, sed propter eum qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo: agnoscentes et nos inter cives et domesticos Dei, nec tanquam hospites et advenas a secreta illa habitatione censeant propulsandos.

SERMO IV.

De sinu Abrahamæ, et altari sub quo sanctorum animas beatus Joannes audivit, et septem panibus, ex quibus totidem sportæ remansisse leguntur.

1. Cum de altari illo cœlesti, sub quo beatus Joannes sanctorum voces audivit (Apoc. vi, 9, 10), sermo incidisset distulimus sicut meminisse arbitrator charitatem vestram, ut oratione præmissa securior nobis ad tam sacrum secretumque cubiculum pateret accessus. Tempus est, ut jam dicamus quod de eo nobis sentire datum est, sine præjudicio sane, si cui forte aliter fuerit revelatum. Illud ergo primum movere potest, quid sibi velit, quod beatus Joannes sub altare Dei audivit se perhibere sanctorum voces animarum, cum Salvator in Evangelio de Lazari anima loquens, non sub altare Dei, sed in sinum Abrahamæ dicat eam ab angelis deportatam (Luc. xvi, 22). Nam et sanctus Job, ut apparet, nequaquam ad altare Dei ausus est aspirare, cum diceret: *Quis mihi hoc tribuat, ut in inferno protegas me, et abscondas me, donec pertranseat furor tuus, et constituas mihi tempus, in quo recorderis mei?* (Job. xiv, 13.) Sed jam venerat tempus, fratres, illud, quod beatus Job postulabat, jam recordandi tempus, jam venerat tempus miserendi, quando sanctorum voces sub altare Dei beatus Joannes audivit. Donec enim veniret desideratus ille, qui sanguine suo deleteret chirographum damnationis nostræ, et flammeum extinguens gladium, aperiret credentibus regna cœlorum. nullus omnino cuiquam sanctorum ad ea patebat ac-

(70) Huic sententiæ adversatur Augustinus in lib. xii de Genesi ad litt. cap. 33, num. 63, ubi putat antiquos justos nunquam inferis fuisse detentos, et inferorum appellationem in Scripturis non competere nisi loco poenarum.

(70*) Sic Bernardus ipse vocat in lib. v de Con-

cessus: sed providerat eis Dominus in inferno ipso (70) locum quietis et refrigerii, chaos magnum firmans inter sanctas illas animas, et animas impiorum, Quamvis enim utraque in tenebris essent, non utraque erant in pœnis; sed cruciabantur impii, justi vero conso-labantur, Quod autem in tenebris essent, beati Job testimonio didicimus, qui se quoque in locum tenebrosum et opertum mortis caligine perhibebat iturum (Job x, 21). Hunc ergo locum, obscurum quidem, sed quietum, sinum Abrahamæ Dominus vocat: pro eo, ut arbitrator, quod in fide et expectatione quiesceret Salvatoris. Abrahamæ enim fides tam manifeste probata est, et approbata, ut primus ipse futuræ incarnationis Christi meruisset accipere promissionem. In hunc ergo locum **1036** Salvator descendens contrivit portas aereas, et vectes ferreos confregit, eductosque vincetos de domo carceris, sedentes quidem, hoc est quiescentes, sed in tenebris et umbra mortis, jam tunc quidem sub altare Dei collocavit, abscondens eos in tabernaculo suo in die malorum, et protegens eos in abscondito tabernaculi sui, donec veniat tempus, quo procedant completo jam numero fratrum, et percipiant regnum, quod eis paratum est ab origine mundi. Jam vero sicubi forte præsens quoque sanctorum requies Abrahamæ sinus vocatur (70*), certum est de Evangelio hanc inolevisse consuetudinem: licet neminem oporteat dubitare, longe alium hunc sinum esse, quam illum: quippe cum ille in tenebris, hic in luce multa; in inferno ille fuerit, iste in cœlo. Non incongrue tamen etiam nunc dictum videtur patriarcharum filios paternum in sinum recipi, cum ad eorum consortium ab hoc sæculo transire merentur [alias, meruerint].

2. Porro altare ipsum de quo, nobis habendus est sermo, ego pro meo sapere nihil aliud arbitrator esse, quam corpus ipsum Domini Salvatoris (71). Credo autem quod et ego super hoc sensum ejus habeam, præsertim cum audiam eum in Evangelio promittentem: *Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilæ* (Luc. xvii, 37). Interim ergo sub Christi humanitate feliciter sancti [alias, felices animæ] quiescunt, in quam nimirum desiderant etiam angeli ipsi prospicere donec veniat tempus, quando jam non sub altari collocentur, sed exaltentur super altare. Sed quid dixi? nunquid humanitatis Christi gloriam, non dicam hominum, sed vel angelorum assequi poterit quis, nedum superare? Quoniam igitur modo super altare dixerim exaltandos eos, qui nunc sub altare quiescunt? Visione utique et contemplatione, non prælatione. Ostendet enim nobis Filius, ut pollicitus est, semetipsum (Joan. xiv, 24), non in forma servi, sed in forma Dei. Ostendet etiam nobis Patrem et Spiritum sanctum, sine qua nimirum visione nihil sufficeret nobis; quoniam hæc est

sideratione, num. 9.

(71) Hæc Bernardi non absoluta definitio, sed opinio est, ut patet ex num. 1, ubi id dictum vult accipi sine præjudicio saue, si cui forte aliter fuerit revelatum. Lege præfationem ad hunc tomum num. 20 et 21.

vita æterna, ut cognoscamus Patrem verum Deum. et quem misit Jesum Christum (Joan. xvii, 3), et in eis, quod non est dubium, etiam Spiritum utriusque. Transiens quippe ministrabit nobis, novas utique, et usque ad tempus illud nobis penitus inexpertas delicias manifestæ suæ contemplationis. Unde et beatus Joannes in Epistola sua: *Nunc, inquit, filii Dei sumus, sed nondum apparuit quid erimus*; et addit: *Scimus autem quoniam cum apparuerit, similes ei erimus, quia videbimus eum sicuti est* (I Joan. iii, 2). Audi denique sponsam in Cantico canticorum fiducialiter loquentem, et spe quidem jam super altare locatam. *Leva ejus, haud dubium quin sponsi, sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (Cant. ii, 6). Transcendit enim beata anima Christi incarnationem et humilitatem, quæ nimirum leva ejus jure vocatur; ut divinitatem ejus et majestatem ejus, quam non incongrue dexteram nominat, sublimius contempletur.

3. Tripliciter enim, fratres, in æterna illa et perfecta beatitudine fruemur Deo, videntes eum in omnibus creaturis, habentes eum in nobis ipsis, et (quod his omnibus ineffabiliter jucundius sit atque beatius) ipsam quoque cognoscentes in semetipsa Trinitatem, et gloriam illam sine ullo ænigmatemundo cordis oculo contemplantes. In hoc enim erit vitæ æterna et perfecta, ut cognoscamus Patrem, et Filium eum sancto Spiritu, et videamus Deum sicuti est: id est, non modo sicut inest nobis videlicet, aut cæteris creaturis, sed sicut est in semetipso. Unde duo illa velut circumjacentia esse videntur quæ prædiximus, et quasi cortex tritici: hæc vero cognitio, summa beatitudinis, tritici medulla, adeps frumenti, quo nimirum civitas sancta Jerusalem satiatur (Psal. cxlvii, 14). Verum quam magna est beatitudo illa, tam abscondita est ab oculis nostris quoniam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor **1037** hominis ascendit, quanta claritas, quanta suavitas, quanta jucunditas maneat nos in illa cognitione. Pax Dei est illa, quæ exsuperat omnem intellectum; quanto magis omnem sermonem nostrum? Quod ergo nulli datum est experiri, nullus conetur effari. *Mensuram, ait Dominus, plenam, et confertam, et coagitatam, et superfluentem dabunt in sinus vestros* (Luc. vi, 38). Plenam universitate creaturarum, confertam in interiore homine nostro, cogitatam in exteriori, superfluentem in Deo ipso. Ibi cumulus felicitatis, ibi supereminens gloria, ibi superfluentis beatitudo.

4. Nam quomodo videandus sit in creaturis, quomodo in nobis habendus, possumus vel ex parte conjicere, ex ipsis nimirum, quas accepimus jam, primitiis spiritus. Cognitio autem illa omnino adhuc nobis incognita est: mirabilis facta est; confortata est, ut non possimus ad eam. At vero quemadmodum in creaturis videndus sit, possumus aliquatenus intelligere, nimirum cum et modo videatur in ipsis: unde et philosophi, Apostolo teste, per ea quæ facta sunt, Dei invisibilia conspexere (Rom. i, 20). Verum

quantumcunque proficiat quis intelligendo conspiciere, quam potentissime, quam prudentissime, quam benignissime majestas æterna omnia fecerit, cuncta regat, ordinet universa; prorsus modicum ab eo quod est comprehendit. Veniet autem, quando jam, ut in præcedenti sermone diximus, sequemur Agnum quocunque ierit, et in omnibus consequemur creaturis, ut in omnibus gaudeamus, quod est gaudium Domini Dei nostri. Gaudeamus sane in omnibus, sed non aliunde quam de ipso, sicut et ipse non aliis fruitur, sed semetipso.

5. Jam vero quemadmodum in nobis habendus sit, et hoc vel ex parte possumus cogitare. Constat enim animarum triplicem esse naturam. Unde et sapientes mundi hujus animam humanam, rationalem, irascibilem, concupiscibilem esse tradiderunt: quam utique triplicem vim animæ ipsa quoque natura et quotidiana experimenta nos docent. Porro quemadmodum circa rationale nostrum, ut scientia, et ignorantia constat tanquam habitus et privatio: sic et circa concupiscibile, desiderium et contemptus: et circa id quod dicitur irascibile, et lætitia pariter, et ira versatur. Implebit ergo Deus rationale nostrum luce sapientiæ, ita ut penitus nobis nihil desit in ulla scientia. Implebit concupiscibile nostrum fonte justitiæ, ut omnino desideremus eam et ea penitus repleamur, sicut scriptum est: *Beati qui esuriunt et sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur* (Matth. v, 6). Nulla enim alia res implere potest desiderium animæ, nulla alia præter justitiam beatificare animam potest. Cum ergo repleverit Deus concupiscibile nostrum justitia; quidquid respicere debet anima, respiciet; quidquid debet concupiscere, concupiscet: et ex omnibus id magis appetet quod magis fuerit appetendum. Merito denique concupiscibili nostro justitiam attribuimus, ex quo nimirum, aut justus, aut injustus reputatur. Jam vero quod dicitur in nobis irascibile, cum repleverit illud Deus, perfecta erit in nobis tranquillitas et in summam jucunditatem atque lætitiæ replebimur pace divina. Et vide si non etiam in his tribus profecta, quantum sane ad animam spectat, beatitudo consistit: quando scientia jam non inflabit propter justitiam; jam non contristabit propter lætitiæ, ut cesset proverbium illud: *Qui apponit scientiam apponit et dolorem* (Eccle. i, 18): quando justitia nec indiscreta erit propter scientiam, nec onerosa propter lætitiæ: quando lætitia nec inepta [alias, suspecta] erit propter scientiam, nec impura propter justitiam.

6. Sud in his omnibus nihil adhuc exterior homo noster accepit. Ipsi ergo, ut inhabitet gloria etiam in terra nostra (Psal. lxxxiv, 10). et juxta alium prophetam, repleatur majestate Domini omnis terra (Isai. vi, 3), quatuor sunt quærenda, quem nimirum constat ex elementis quatuor esse compactum. Nec mireris quod pluribus indigere videtur qui miserior est, cum et in psalmo legeris, dicente Propheta: *Sitit in te anima mea quam multipliciter tibi caro mea* (Psal. lxxii, 2.) Habeat ergo terra nostra immor-

talitatem **1038** ne jam timeat denuo se in pulverem redigendam. Resurgens enim corpus nostrum jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Sed quid proderit, si forte contingat in æternum vivere in miseris et ærumnis passibilitatis hujus, qua nimirum incessanter corruptibile hoc corpus affligitur; et, si non semel, utique semper moritur? Habeat certe etiam aliquando omnimodam impassibilitatem. Ab humoribus enim inordinatis causas aiunt procedere passionum. Sed jam desiderat corpus nostrum etiam levitatem, secundum eam nimirum quam habet ex aere portionem, ne vel ipso onere sit molestum. Tanta itaque futura credenda est corporum levitas et agilitas beatorum, ut possint, si velint, absque omni mora seu difficultate ipsam quoque cogitationum nostrarum sequi ad omnia velocitatem. Quid ultra deest ad perfectam corporis beatitudinem? Sola utique pulchritudo. Hanc perfectissimam habituri, non immerito possumus attribuire ei parti, quam habemus ab igne. *Salvatore enim expectamus*, ut ait Apostolus, *qui reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ* (Philipp. III, 20, 21), exhibens quod pollicitus est, quoniam *fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum* (Matth. XIII, 43). Sic ergo replebit animas nostras Deus, cum perfecta in eis scientia fuerit, perfecta justitia, perfecta lætitia. Sic replebitur majestate ejus omnis terra, cum fuerit corpus incorruptibile, impassibile, agile, configuratum denique corpori claritatis suæ. Et vide ne forte isti sint septem panes, quibus quatuor hominum millia Salvator legitur satiasset, e quibus ejusdem numeri sportas plenas apostoli reservandas sustulerunt (Matth. XV, 32, 38). Nunc enim reficimur panibus istis, cum jucunda meditatione beatam spem ruminamus: donec veniat, cum jam non de spe, sed de re ipsa et exhibitione gaudentes, quasi plenas sportas recipere pro panibus singulis mereamur.

SERMO V.

1. Festiva nobis est dies, et inter præcipuas solemnitates hodierna solemnitas numeratur. Quid ergo dicimus? cujus apostoli, cujus martyris, cujus sancti? Non unius alicujus singulariter sed pariter universorum. Omnes siquidem novimus festivitatem Omnium Sanctorem dici, et esse, quam hodie celebramus. Omnium, inquam, sive coelestium, sive terrestrium. Sunt enim sancti de cælo, et sunt sancti de terra: itemque eorum qui de terra sunt, quidam adhuc in terra, aliqui jam in cælo. Celebratur ergo festivitas omnium horum communiter, sed forsitan non uniformiter. Neque hoc mirum, cum non sit ne ipsa quidem sanctitas omnium uniformis, sed inter sanctos et sanctos distet, idque non parum. Nec modo dico quia alius alio sanctior (hæc enim quantitatis potius quam qualitatis distantia est); sed quod non modo magis et minus, verum etiam aliter atque aliter sanctos dici, et vere dici inveniamus. Et forte inter angelos atque homines assignari possit ista diversitas sanctitatis pariter

A et celebritatis. Neque enim tanquam triumphantes honorari posse videntur, qui nunquam pugnasse noscuntur. Aliter tamen honorandi sunt nimis etiam ipsi, tanquam amici tui, Deus, cujus nimirum voluntati semper adhæserunt, tanta utique felicitate, quanta facilitate. Nisi forte in eo pugnasse creduntur, quod peccantibus aliis viriliter perstiterunt, non abeuntes in concilio impiorum, sed singuli quique dicentes: *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (Psal. LXXII, 28). Celebranda ergo in eis gratia præveniens in benedictione dulcedinis; honoranda benignitas Dei, non ad pœnitentiam adducens, sed abducens, ab omnibus, quibus pœnitentia deberetur; non eripiens a tentatione, sed a tentatione conservans.

B 2. Aliud sane in his sanctitatis genus, et proprio modo videbitur honorandum, qui venerunt ex magna tribulatione, et dealbaverunt stolas suas in sanguine **1039** Agni (Apoc. VII, 14): qui post multos agones jam nunc triumphant in cælis coronati, quoniam legitime certaverunt. Estne adhuc sanctorum aliquod tertium genus? Est, sed occultum. Sunt enim sancti qui adhuc militant, adhuc pugnant; currunt adhuc, needum comprehenderunt. Temerarie forsitan hujusmodi videar dicere sanctos; sed tamen novi unum ex his non veritum dicere Deo: *Custodi animam meam, quoniam sanctus sum* (Psal. LXXXV, 2). Sic et Apostolus, divinatorum conscius secretorum, evidentius ait: *Scimus quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum his qui secundum propositum vocati sunt sancti* (Rom. VIII, 28). Hæc nimirum diversitas appellationis in nomine sanctitatis, ut alii quidem jam secundum consumptionem sancti vocentur, alii juxta solam adhuc prædestinationem. Latet ergo hujusmodi sanctitas penes Deum; clausa est, et clause quodammodo celebratur. Siquidem nescit homo, utrum amore, an odio dignus sit; sed in futurum omnia reservantur incerta (Eccle. IX, 1, 2). Sit ergo istorum celebritas sanctorum in corde Dei; quoniam novit Dominus qui sunt ejus, et ipse scit quos elegerit a principio. Sit etiam apud administratorios illos spiritus, qui mittuntur in ministerium propter eos qui hæreditatem capient salutis: nos in vita sua laudare hominem prohibemur. Quomodo namque secunda laudatio, ubi nec ipsa vita secunda? *Non coronabitur nisi qui legitime certaverit*, ait tuba illa coelestis (II Tim. II, 5). Et legem certaminis ab ore ipsius legislatoris ausculta: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (Matth. X, 22). Nescis quis sit perseveraturus, nescis quis sit legitime certaturus, nescis quis coronam sit accepturus.

3. Illorum lauda virtutem, quorum jam certa victoria est; illos devotis extolle præconiis, quorum secure potes adgaudere coronis. Cantavimus sanctis hæc nocte, dicentes: *Timete Dominum, omnes sancti ejus* (Pal. XXXIII, 10); sed non istis. Non, inquam, eos qui perseveraverunt usque in finem, timere hortabamur, quia scriptum est: *Jam non erit timor in finibus nostris*. Illis potius dicebamus sanctis,

quibus custodia multiplex necessaria est pro multitudinem periculorum. Siquidem non est eis collectatio adversus carnem et sanguinem tantum, sed adversus principatus quoque et potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiae in coelestibus (Ephes. VI, 12). Egent plane custodia, qui tam multipliciter, non modo cominus, sed eminus appetuntur. Et ubi tot pugnae foris, non debent intus deesse timores, ut merito his dicatur: *Timete Dominum, omnes sancti ejus*. Tota interim beatitudo nostra est timere Deum, dicente Scriptura: *Beatus homo qui semper est pavidus* (Prov. XXVIII, 14). Et item Psalmista ait: *Beati omnes qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus* (Psal. CXXXVII, 1). Cæterum longe aliter beati, in quibus jam perfecta charitas foras misit timorem, nec jam timent ambulantes in viis, sed laudant potius habitantes in domo, sicut idem ait: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te* (Psal. LXXXIII, 5). Nostra ergo felicitas, nostra interim festivitas, in timore Dei: nam illorum magis in exultatione et laude versatur.

4. Inde est quod secure laudantur homines, qui non sua jam vivunt vita, sed Dei: nam hominum utique vita tentatio est. Est autem gemina quaedam securitas laudis hujus: nisi quod forte videbitur, si diligenter attendimus intra alteram altera comprehendere. Siquidem non est quod laudare vereamur verissime, certissimeque laudabiles: non est quod glorificare cunctemur sic absorptos in gloria, ut nostra omnino nequeant laudatione moveri. Non enim est quo vanitas intret, ubi veritas jam totum occupavit. Sed quænam, inquires, gloria sanctis? Neque enim singuli sese glorificant, quia scriptum est: *Non te laudet os tuum* (Prov. XXVII, 2). Non vicissim alter alterum laudat, quia in laudem Conditoris intenti et extenti, in quo nimirum tota eis reposita est beatitudo, mutuis nunquam vacare laudibus possunt, dicente Propheta, sicut supra quoque meminimus: *Beati qui habitant in domo tua, Domine; in sæcula sæculorum laudabunt te*. Verum tamen non acquiesco expertes gloriæ credere sanctos, maxime propter illud quod Apostolus ait: *Quod in presenti est momentaneum et leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitatem æternæ gloriæ pondus operabitur in nobis* (II Cor. IV, 17). Et Propheta: *Visita nos in salutare tuo, ad videndum in bonitate electorum tuorum, ad lætandum in lætitia gentis tuæ, ut lauderis cum hæreditate tua* (Psal. CV, 4, 5). Non enim ait: *Ut lauderis ab hæreditate tua; sed, cum hæreditate tua, ut communis intelligatur futura laudatio*. Quod si ipsa laudat hæreditas hominum; hæreditatem quis laudet, ab Apostolo audiamus. *Tunc, inquit, unicuique laus erit*. A quo? *A Deo* (I Cor. IV, 5). Magnus laudator, et vehementer ambienda laudatio. Felix commutatio laudis, ubi et laudare beatum est, et laudari.

5. Ad quid ergo sanctis laus nostra? ad quid glorificatio nostra? ad quid nostra hæc ipsa solemnitas?

A Quo eis terrenos honores, quos juxta veracem Filii promissionem honorificat Pater cælestis? Quo eis præconia nostra? pleni sunt. Prorsus ita est, dilectissimi, honorum nostrorum sancti non egent, nec quidquam eis nostra devotione præstatur. Plane quod eorum memoriam veneramur, nostra interest, non ipsorum. Vultis scire quantum interest nostra? Ego in me, fateor, ex hac recordatione sentio desiderium vehemens inflammari, et desiderium triplex. Vulgo dicitur: *Quod non videt oculus, cor non dolet*. Oculus meus, memoria mea; et cogitare de sanctis, quodam modo eos videre est. Sic nempe portio nostra in terra viventium, nec modica sane portio: si tamen, ut decet, memoriam affectio comitetur. Sic, inquam, conversatio nostra in cælis est; verum tamen non sic nostra, sicut illorum. Ipsorum enim substantia ibi est, nostra autem desideria; ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi sumus. Quando et nos addemur ad patres nostros? quando essentialiter præsentabimur eis? Hoc enim primum desiderium, quod in nobis sanctorum memoria vel excitat vel incitat magis, ut eorum tam optabili societate fruamur, et mereamur concives et contubernales esse spirituum beatorum, misceri cœtui patriarcharum, cuneis prophetarum, senatui apostolorum, martyrum exercitibus numerosis, confessorum collegiis, virgininum choris; in omnium denique colligi et collectari communionem sanctorum.

C 6. Singulorum quippe recordationes, quasi scintillæ singulæ, imo quasi ardentissimæ faces, devotos ascendunt animos, ut eorum et conspectum sitiunt [*alias*, sentiant] et complexum: adeo ut plerumque etiam inter eos esse se reputent, modo ad omnes simul, modo ad hos vel ad illos tota aviditate et vehementia corda vibrantes. Alioquin quid istud negligentiae, quid pigritiae, imo quid recordiæ est, ut non crebris suspiriis et ferventissima affectione abrupere hinc, et in illa tam felicia agmina jaculari animos studeamus? Væ nobis a duritia cordis nostri! væ a peccato gentium, quas Apostolus memorat sine affectione fuisse! (Rom. I, 31.) Præstolatur nos Ecclesia illa primitivorum, et negligimus; desiderant nos sancti, et parvipendimus; expectant nos justii, et dissimulamur. Excitemur aliquando, fratres; resurgamus cum Christo, quæramus quæ sursum sunt, quæ sursum sunt sapiamus. Desideremus desiderantes nos, properemus ad præstolantes nos, expectantes nos votis præoccupemus animorum. Ecce enim nihil in hac nostra communitate e securitatis, nihil perfectionis, nihil quietis: et tamen hic quoque quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum? Quidquid enim, sive interius, sive exterius, molestum occurrit, ipso utique tam germanorum consortio fratrum, cum quibus est nobis cor unum et anima una in Deum, tolerabilius invenitur. Quam dulcior erit, quam delectabilior, quam beatorum unio ubi nulla suspicio esse poterit, nulla dissensionis occasio; ubi omnes perfecta charitas indissolubili fœdere colligabit, ut sicut Pater et **1041**

Filius unum sunt, sic et nos unum simus in ipsis!

7. Non tantummodo societas, sed etiam felicitas nobis est optanda sanctorum, ut quorum desideramus præsentiam, gloriam quoque ferventissimis studiis ambiamus. Neque enim perniciose hæc ambitio, aut illius affectatio gloriæ ullatenus periculosa est. Nam quod dicimus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam* (Psal. cxiii, 4); hujus temporis vox est, quando et ipsi angeli clamant: *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (Luc. ii, 14) *Noli me tangere*, ait: *nondum enim ascendi ad Patrem meum* (Joan. xx, 17). Verbum gloriæ est. Nempe Filius sapiens gloria Patris. *Noli ergo*, ait gloria, *noli me tangere*. Noli interim quærere gloriam, fuge potius: et vide omnino ne me tetigeris, donec perveniamus ad Patrem, ubi sit gloriatio omnis jam secuta. Ibi in Domino laudabitur anima mea, audiant mansueti, et lætentur. Nunquid non videtur audisse dicentem: *Noli me tangere; nondum ascendi ad patrem meum*, quæ in Canticum clamat: *Fuge, dilecte mi, fuge?* (Cant. viii, 14). Hoc est enim quod supra meminimus: *Non nobis, Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam*. Unde et in hymno hodie nos canimus: « Des pacem famulis, nos quoque gloriam per cuncta tibi sæcula, » juxta angelicam scilicet distributionem.

8. Quia enim tentatio est vita hominis super terram, merito in terra homini, non gloria, sed pax est quæranda: pax cum Deo, pax cum proximo, pax in seipso. *O custos hominum! quare me posuisti contrarium tibi, et factus sum mihi metipsi gravis?* (Job. vii, 20.) Vicina nimirum lucta et intestina seditio, bellum non civile, sed domesticum, spiritus adversus carnem, et caro adversus spiritum concupiscens. Unde hoc, nisi quia posuisti me contrarium tibi? Tu enim vera libertas, tu vita, tu gloria, tu sufficientia, tu beatitudo; ego pauper, et miser, et miserabilis, confusus et humiliatus usquequaque, mortuus propter peccatum, venundatus sub peccato. Denique tu perfecta et sancta voluptas, et requies spiritum beatorum, posuisti me ab initio contra Eden (quod voluptatem sonat) in labore utique et ærumna. Attamen dicis: *Convertimini ad me in toto corde vestro*. Liqueat quia sumus aversi, quos ut revertamur hortaris: liqueat quia contrarii, quos revocas ut convertamur. Sed quomodo? *In jejuniis, inquit, et fletu et planctu* (Joel. ii, 12). Mira res! Itane in jejuniis tu versaris, et in fletu degis, et in planetu habitas? Procul a te omnia ista: procul ipse ab his vehementer. Nimirum regnum tuum in Jerusalem, quam satias adipe frumenti; nec ibi luctus aut clamor, sed nec ullus dolor, magis autem gratiarum actio, et vox laudis. *Justi, inquit, epulentur in conspectu Dei, et delectentur in lætitia et exultatione* (Psal. lxxvii, 3). Quomodo ergo in jejuniis, et fletu, et planetu convertemur ad ipsum? An vero justus eum in lætitia et exultatione; qui vero nondum justus est, non nisi in jejuniis, et fletu, et

planetu reperiet? Ita plane; sed justus qui jam conspectum meruerit, non qui adhuc vivat ex fide. Nimirum quod ait Dominus: *Cum ipso sum in tribulatione* (Psal. xc, 15), ad eum pertinet qui per fidem ambulat; non autem qui ad faciem jam pervenit. Equidem utrisque est caput unum, sed non uno modo membris omnibus exhibetur. Quibusdam enim ostenditur caput hirsutum spinis, iuclinatum in cruce, ut humilietur pariter, pariter et compungantur. Quidusdam gloriosus apparet, ut ab ipso glorificentur, ut in ipso gloriantur facta ei similia, quem [alias, quod] vident sicuti est.

9. Hoc ergo secundum desiderium, quod ex sanctorum commemoratione flagrat in nobis, ut sicut illis, sic nobis etiam Christus appareat vita nostra, et nos quoque cum ipso appareamus in gloria. Interim nempe non sicut est, sed sicut pro nobis factum est, caput nostrum nobis representatur non coronatum gloria, sed peccatorum nostrorum circumdatum spinis dicente Scriptura: *Egre dimini, filie Sion et videte regem Salomonem in diademate quo coronavit eum mater sua* (Cant. iii, 11). O regem! o diadema! Mater siquidem Synagoga, non matrem sese exhibens, sed novercam, regem nostrum **1012** corona spinea coronavit. Pudeat sectari gloriæ membra, quibus caput suum tam inglorium exhibetur, non habens speciem aut decorem, vel aliquid ejusmodi. Nimirum Salomon est, quod interpretatum est *pacificus*, sane quod in præsentem est; non utique beatificus, aut glorificus: ut in omnibus angelicum illud elogium commendatur, quo terris pacem, cælis gloriam tradiderunt. Pudeat sub spinato capite membrum fieri delicatum, quod omnis ei interim purpura non tam honoris sit, quam irrisiois. Videre est tamen hodie multis in locis, non sine multa ambitione et comestatione, præsentem diem honorari. Honorari an deonestari dicam? Ipsi viderint qui hæc agunt. Ipsorum est enim hujusmodi celebritas, non sanctorum: quod sibi libet faciunt, non quod sanctis. Erit cum venerit Christus, nec mors ejus ultra annuntiabitur, ut sciamus quoniam ipsi quoque mortui sumus, et cum eo abscondita est vita nostra. Apparebit caput gloriosum, et cum eo membra glorificata fulgebunt, cum videlicet reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum gloriæ capitis, quod est ipse. Hanc ergo gloriam tota et tuta ambitione concupiscamus, ne forte audiamus et nos: *Quia gloriam quæ ab invicem est quæritis, et gloriam quæ a solo Deo est non vultis* (Joan. v, 44).

10. Sane ut eam nobis sperare liceat, et ad tantam beatitudinem aspirare, summopere nobis desideranda sunt suffragia quoque sanctorum, ut quod possibilitas nostra non obtinet, eorum nobis intercessione donetur. Miseremini mei, miseremini mei, saltem vos amici mei (Job xix, 21). Nostis, ipsi periculum nostrum, nostis figmentum nostrum; nostis ignorantiam nostram, et dolos adversariorum; nostis eorum impetus, et nostram

fragilitatem. Vobis enim loquor, qui in eadem tentatione fuistis; qui eosdem superastis conflictus, eosdem laqueos evasistis: qui didicistis ex his quæ passi estis, compassionem. Confido equidem et de angelis, quod nec ipsi suam visitare speciem dedignantur, maxime quia scriptum est: *Visitabis speciem tuam, et non peccabis* (Job v, 24). Cæterum etsi de eis mihi arbitror præsumendum ob spiritualis substantiæ et rationalis formæ similitudinem; ampliori tamen fiducia ad eos mihi reor utendum [alias, vertendum], quos habere me noverim et in ipsa humanitate consortes, ut oporteat eos familiariter et specialius misereri ossi de ossibus suis, et carni de carne sua.

11. Denique transeuntes ex hoc mundo ad Patrem, sancta nobis pignora reliquerunt. Apud nos siquidem corpora eorum in pace sepulta sunt, quorum nomina vivent in sæculum, id est, quorum nunquam gloria sepelitur. Absit, absit a vobis, animæ sanctæ, Ægyptia illa crudelitas pincernæ Pharaonis, qui in gradum pristinum restitutus, statim oblitus est Joseph sancti, qui in carcere tenebatur! (Gen. xl). Non enim erant unius capitis membra, nec aliqua pars fideli cum infideli, aut ulla societas Israelitæ ad Ægyptium, non plus quam luci ad te-

IN TRANSITU S. MALACHIE EPISCOPI.

SERMO I.

1. De cælo vobis hodie, dilectissimi, copiosa quædam est benedictio destinata: et fideliter eam non distribui, vobis quidem damnosum esset; mihi vero periculosum, cui nimirum hæc dispensatio videtur esse commissa. Timeo itaque damnum vestrum, timeo damnationem meam, si forte dicatur: *Parvuli petierunt panem, et non fuit qui porrigeret illis* (Thren. iv, 4). Scio enim quam necessaria vobis sit et cælo veniens consolatio, quos constat illecebris carnalibus et oblectamentis sæcularibus viriliter abrenuntiassent. Nemo sane beneficii esse cælestis, et superno dubitet consilio definitum, ut episcopus Malachias hodie inter vos obdormiret et desideratam inter vos haberet sepulturam. Cum enim nec folium quidem arboris sine divino nutu cadat in terram; quis tam hebes, ut non evidenter in hujus beati viri adventu et transitu magnum prorsus concilium supernæ pietatis advertat? A finibus terræ, terram hic positurus adventit, alia quidem occasione festinans, quamvis ob specialem erga nos charitatem id plurimum desiderasse noscatur. Multa quidem in itinere ipso impedimenta sustinuit, nec transfretare permixsus est, donec appropinquaret tempus consummationis ejus, et terminus qui non poterat præteriri. Quem quidem multis ad nos pervenientem laboribus, tanquam angelum Dei pro reverentia sanctitatis suæ suscepimus: sed et nos ipse pro sua mansuetudine et humilitate altius radicata, longe supra quam mereremur, devoto suscipiebat affectu. Paucos deinde

(72) Obiit anno 1148. Vitam ejus habes tomo II.

(73) Visebantur olim apud Claram-Vallem ossa

nebras. Interpretatur enim Ægyptus *tenebræ*, Israel vero *Videns Deum*: atque ideo ubicunque Israel erat, lux erat. Non sic noster Jesus crucifixi secum latronis potuit oblivisci: factum est utique quod promissum est; ipsa die qua compassus est, et conregnavit (Luc. xx). Nos quoque si non sumus ipsius capitis membra, cujus et sancti, unde eis tam solemnitibus hodiæ votis, et tanto gratulamur affectu? Cæterum qui dixit: *Si glorificatur unum membrum, congaudent omnia membra*; hoc quoque nihilominus sit: *Quod si patitur unum membrum compatiuntur omnia membra* (I Cor. xii, 26). Hæc igitur nostra et eorum cohærentia est, ut nos congratulamur eis, ipsi compatiantur nobis: nos devota meditatione regnemus in eis, ipsi in nobis, et pro nobis militent pia interventione. Nec est quod de eorum pia erga nos sollicitudine dubitemus, quandoquidem non consummandi sine nobis, sicut supra meminimus, expectant nos usque dum retribuatur nobis: ut videlicet in novissimo die magno festivitatis omnia simul in virum perfectum cum suo tam excelso capite membra concurrant, et laudetur **1013** cum hæreditate sua Jesus Christus. Dominus noster, qui est super omnia benedictus, et laudabilis, et gloriosus in sæcula. Amen.

C apud nos dies fecit in incolunitate sua, dum socios præstolaretur, qui dispersi in Anglia fuerant, cum regis illius vana suspicio Dei hominem impediret. Jamque omnibus ad eum collectis, ad Romanam, pro qua venerat, curiam parabat iter: cum subito infirmitate præventus, sensit protinus ad cælestem magis sese palatium evocari. Deo melius aliquid providente pro nobis, ne a nobis egressus alibi consummaretur.

2. Nullum quidem in eo, non dico mortis, sed vel gravis ægritudinis signum medicis apparebat: ille tamen exhilaratus spiritu, aiebat omnimodis oportere, ut hoc anno Malachias ab hac vita egrediretur. Laboratum est econtra, et devotis precibus apud Deum, et quibuscunque potuimus modis: sed illius prævalere merita, ut desiderium cordis ejus tribueretur ei, et non fraudaretur voluntate labicorum suorum. Sic enim pro votis omnia ei concurrere, ut hunc maxime locum, divina sibi inspirante elementia, elegisset; et hunc quoque ex longo optaret sepulturæ habere diem, quo fidelium omnium generalis memoria celebratur. Sed et illud nostra hæc gaudia merito cumulavit, quod fratrum nostrorum ossibus, de priore cœmeterio huc asportandis et recondendis (73), eadem nobis dies, auctore Deo fuisset electa. Quæ nimirum deportantibus nobis, et ex more psallentibus, idem vir sanctus plurimum sese illo cantu delectari dicebat: et non multo post ipse quoque secutus est, somno suavissimo et felicissimo soporatus. Agimus itaque gratias Deo super omnibus primorum illorum sanctorum monachorum in sacello subterraneo, ad pietatem sane toto composita.